DE HOMINUM ANIMO

DISCEPTATIONES METAPHISICO-THEOLOGICAE

QUAS

EXCELLENTISSIMO VIRO

D. VINCENTIO

REVERTERIO

SALANDRAE DUCI, COMITI TRICARICI

DYNASTAE MILLIONICI, GRASSANI, GARAGUSII, CALCIANI &c.

UTRIUSQUE SICILIAE REGIS A CUBICULIS

INTER EOS, QUI EXERCITIO FUNGUNT

COHORTIS PRAETORIANAE DUCI &c. &c.

P. VINCENTIUS MARIA EGYPTIUS

ORDINIS PRAEDICATORUM,

COENOBII S. MARIAE SANITATIS NEAPOLIS FILIUS

ET IN FLORENTINO S. MARCI COLLEGIO

THEOLOGIAE STUDENS.


PRAESIDE ADMOD. REV. PATRE

PETRO VINCENTIO BARZANTIO

EIUSDEM ORDINIS, ET IN EODEM COLLEGIO

THEOLOGIAE PROFESSORE PRIMARIO,

L. M. D. D. D.



FLORENTIAE MDCCLXXIII.

TYPIS REGIAE CELSITUDINIS APUD CAIETANUM CAMBIAGI.

PRAESIDIBUS ANNUENTIBUS.

DUX EXCELLENTISSIME.



E hominum animo disceptaturis quid profecto nobis opportunius, quid magnificentius, quid evenire iucundius potuit umquam, quam, ut Te, Vir Princeps, Auspicem, & Patronum, & hac in quaestione, quae quam sit plena difficultatis nemo unus non intelligit, Maecenatem amplissimum nancisceremur, qui quanto es animi dotibus, iisque singularibus praeditus, tanto nobis praesidio, & ornamento esse possis? Res enim nulla est, de qua tantopere non veteres mo-

do, verum etiam recentiores, & noſtra memoria Theologi, & Philoſophi diſputarint, quam in ea quae eſt de immateriali hominum animo, de eius creatione, deque illius immortalitate, natura, proprietatibus, & eiuſdem poſtquam e corpore exceſſerit ſede, atque habitudine; quae porro quaeſtiones ſi rite inſtitutae, definitaeque ſint, eae videntur, & ad animi ipſius agnitionem pulcherrimae, & ad Religionem ſtabiliendam, tuendamque neceſſariae; quid enim homini eſſe poteſt optabilius, quid eo dignius, quam ſui ipſius animi naturam, vim, ſagacitatem, praeſtantiamque cognoſcere? Quae vero eſſe pietas poteſt, quae ſanctitas, quae religio, ſi cum corpore intereat animus, ſi corpore vacans non maneat, ſi poſt brevem vitae huius uſuram nihil ſit ei aut mali timendum, aut ſperandum boni? Haec profecto quanti eſſent, quamque cum Religionis totius veritate, & ſanctitate coniuncta cum intelligeremus, eſſeque praeterea bene multos ſciremus noſtra etiam tempeſtate, qui fallaci copioſaque argumentorum pollicitatione animum corpore concretum definientes, ab eo virtutem omnem, meritum, nobilitatem, & ſpem univerſam dum eripiunt, Religionem ipſam, & pietatem adverſus Deum, ac Rempublicam, funditus evertant, ac tollant; factum hinc eſt ut nobis, qui ex privata Scholae exercitatione in publicam hanc arenam deſcendere decrevimus, verendum ſatis eſſet ne dum in re difficillima cum multiplici hoſte congredimur, aſſequi id poſſimus quod nobis erat initio propoſitum, animi nempe, quae vera ſit natura, quae vires, quae proprietates, quae denique in unoquoque ſtatu relatio ipſius, &

ha-

habitudo ex omni argumentorum genere, & ex Scripturarum, Patrumque sententia plene, cumulateque statuere, & benevolos oppugnatores placare, & invidos vituperatores confutare, ita ut alteros reprehendisse poeniteat, alteri sibi esse cumulate responsum gaudeant, ac gratulentur. Verum omnis adempta nobis suspicio est, cum unum Te, Dux Excellentissime, summa animi voluptate intelleximus has nostras disceptationes in fidem, & clientelam sumpsisse, Teque omnium maxime certo scimus, & singulari humanitate Patronum nobis, & nominis gloria nostro huic libro, & disputationibus decori, atque ornamento futurum; facile enim nobis persuasimus Summum Virum, qui dignitate tanta, comitate, existimationeque virtutis excellat, quantam in Te omnes inesse admirantur, efficere non modo ut Thesium nostrarum omnes patrocinium sumant, verum etiam eis, si ullius quidem per se ipsae sint, plus pretii accedat. Quamvis autem nihil sit a nobis laboris, studii, diligentiaeque pretermissum ut noster hic labor & ob quaestionum optimarum delectum Christianae Reipublicae utilitati, & ob earundem defensionem firmitati esse possent, noveramus nihilominus ipsi nos, planeque sensiebamus praesidio nos illorum egere, qui plurimum apud probatos viros, & doctos auctoritate valeant, & dignitate, quarum alteram Tu ipse non vetustissima solum generis nobilitate, sed ingenio quoque, & doctrina, alteram, & doctrina, & rerum administrandarum prudentia, dexteritate, integritate, & multis in Rempublicam meritis es consequutus. Quis enim nesciat Te in iis facultatibus, quas liberales appellant, in iisque di-

ſciplinis, in quibus fuiſti iam uſque a puero inſtitutus, tanti valere, ut cum iis, qui non ex Nobiliſſima Tua Familia ſolum prodiere, quos eſſe permultos, eoſque omni virtutum genere ornatos intelligo, ſed cum iis etiam, qui inter aequales tuos Principes viros excellenti ſapientiae laude florent, ſis omnino comparandus? Quotus enim quiſque eſt, qui excellens ingenium Tuum non admiretur, Teque non magnopere celebret, quod iuvenili adhuc aetate rerum diverſarum notionem, ſcientiamque cum admirabili quadam animi, morum, oriſque ſuavitate, modeſtiaque coniunxeris? Quae res ſane efficiunt, ut Salandrae populi, & Tricarici Cives ſibi maiorem in modum gratulentur, quorum alteri Te ſpectatiſſimo eorum Duce, alteri humaniſſimo, rectiſſimoque Te Comite illius Civitatis gloriantur, ut perpaucos vetuſtiſſimae Gentis Tuae, qui ampliſſimis hiſce dignitatibus uſi ſunt fortaſſe pares, ſuperiorem autem in iis dirigendis, gubernandiſque habuiſſe neminem videaris, id quod iucundo, hilarique animo recolunt, & fatentur ii, qui Millionici, Graſſani, Garaguſii, Calciani degunt, quique Te Dynaſten, ac Dominum ipſi ſuum colunt, ac reverentur. Iure ſane hinc factum novimus, ut utriuſque Siciliae Rex, Pius, Felix, Optimuſque meritorum, virtutiſque aeſtimator, & iudex Te ampliſſimorum munerum, ac dignitatum acceſſione cumulandum curarit, Teque in eorum nobiliſſimorum virorum ſocietatem adlegerit, qui Regiae illius Maieſtatis a Cubiculis ſunt, eoque in excelſo honoris gradu, exercitioque verſantur. Tuam in re militari virtutem, ſcientiamque cum incredibili animi magnitu-

dine

dine coniunctam, auctam voluit, omnibusque perspectam Rex Tuus, cum non solum Praetorianae Cohortis Praefecturam Te gerere voluit, verum etiam cum Te in acie illa Militum ad maris ripas Regio sapientissimoque consilio, ac munificentia nuper constituta Ducem renunciavit, ac dedit, in qua dirigenda, instruendaque Regia Maiestas imperat ipsa per se sapienter, eamque rite, absoluteque moderatur, ac gubernat. Verum quid nos plura ad virtutes, laudesque Tuas memorandas congerimus, si florenti adhuc aetate ostendisse Te summo omnium gaudio, ac plausu intelligimus tantis animi dotibus, prudentia, aequitate, iustitia, comitate, ac lenitate, virtute denique, & tot in Rempublicam meritis, dignum esse Te, qui amplissimam quamque dignitatem consequare, qua augere in dies elevareque splendorem decusque maximum antiquissimae, spectatissimaeque Familiae Tuae posse videaris? De qua sane pervetusta Gentis Tuae gloria, ac dignitate mittimus ea dicere, quae omnes qui Te norunt, merito admirantur, quaeque brevi oratione complecti minime posse arbitramur. His igitur virtutibus, ac animi praestantia, hac tanta rerum multarum scientia, his honorum titulis, & dignitatibus cum fulgeas, quid nobis illustrius, quid optatius, quid evenire accomodatius potuit, ut hoc qualecumque opus, atque has disputaciones nostras offerri Tibi, consecrarique Tuo Nomini paterere? Id sane eo libentius usuvenisse nobis gratulamur, quod Te Patrono, ac Maecenate Excellentissimo, non modo animum viresque ad disceptandum nobis maximae accedant, verum etiam quod hac una significatione

voluntatis, & obſervantiae in Te noſtrae, aperire, declarareque poſſimus Tibi ipſi quantum & debeamus, & eſſe tribuendum putemus. Quae cum ita ſint feres arbitramur, ut Te etiam atque etiam obteſtemur, ne hoc, quamvis ſit exiguum, grati obſequentiſque animi in Te noſtri argumentum excipere renuas, quod ſi Tibi gratum eſſe intellexerimus, & eo animo acceptum abs Te, quo Tibi eſt oblatum, arbitrabimur, & laborum fructum tuliſſe nos, & quod vehementer expetebamus, conſequutos.



DE HOMINUM ANIMO

IN SE SPECTATO.



SECTIO PRIMA.

I.



QUi animorum vires, ac proprietates omnes, eorumque relationes, ſcientiamque eorum univerſam lumine rationis conſequi ſe poſſe arbitrantur, eos in re difficillima hallucinari, multiſque ſeſe erroribus implicari neceſſe eſt; id quod non apud veteres tantum cuiuſque Sectae Philoſophos, verum etiam apud recentiores bene multos uſuveniſſe intelligimus, qui quae Dei, quae Religionis, quae animi ſunt ratione metiri, ac complecti ſe poſſe miſere blandiuntur.

II.

Hac igitur in quaestione de animo hominum, quae quam sit plena difficultatis, ac periculi nemo unus non videt, certa ut statuamus, atque ut inoffenso pede progredi possimus, non ratio solum est auscultanda, *qualis enim sit animus ipse animus nescit*, (1) verum etiam quae Sacris Litteris, traditione, ac SS. Patrum testimoniis continentur consulere necessum est.

III.

Itaque firmis hisce rationum momentis innixi, illud primum decernimus hominum animos non ab omni aeternitate extitisse ex se ipsis, neque enim est in eis, vel esse umquam potest suae ipsorum existentiae sufficiens ratio; neque sponte veluti sua ex nihilo, nulla praeexistente caussa, quo nihil absurdius, prodiisse.

IV.

Ab omnium ergo rerum priori Caussa factus est animus idquae ex Genes. cap. 2. praesertim deprehendimus, ubi postquam primi hominis creationem Moises descripsit, inspirasse inquit in eum spiraculum vitae, & subdit *factus est homo in animam Viventem*; Quod porro Geneseos testimonium vernacula Sac. Scriptoris lingua sic habet וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה Haebreorum autem Sermone nomen נֶפֶשׁ animum, mentem, arbitrium, atque id genus similia quae ad animorum naturam pertinent intelligi oportere norunt omnes qui Haebraicas institutiones a primoribus labris salutarunt; neque ullum in Sacris literis locum offendere quis umquam poterit, ubi de animo sit sermo institutus, quin נֶפֶשׁ vocabulum frequens occurrat,

V.

(1) Lib. I. Tusc. Quaest.

V.

Neque propterea ita eſt exiſtimandum, animos ex divina ſubſtantia conditos eſſe (1): *Eſt enim, haec ſententia multum aperteque perverſa, & fidei Catholicae adverſa, Deum animam non de nihilo, ſed de ſe ipſo feciſſe*; quo quidem in errore non Gnoſticos ſolum, & Manichaeos prolapſos video, verum etiam Benedictum Spinoſam, & quotquot ſunt de impio hoc grege Philoſophorum; quibus, ni fallor, praeiviſſe videri poſſunt Plato, Pithagoras, & Tullius (2) qui etſi multa luculenter, copioſeque de animo diſſerat, ſic tamen habet: *Sive anima, ſive ignis ſit animus, eum iurarem eſſe divinum.*

VI.

Eſt igitur extra dubitationem omnem conſtitutum, animum, a Deo rerum omnium conditore eſſe e nihilo eductum, atque per creationem extitiſſe: (3) *Creavit* enim *Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*. Divina autem haec imago, & ſimilitudo non corporis profecto eſt, ſed animi, qui quanto ſit corpore nobilior, ac praeſtantior ex divinitatis magnifica hac impreſſione colligere facile poſſumus.

VII.

Longe autem ab recta philoſophandi ratione, & quod caput eſt, ab catholicis Eccleſiae inſtitutionibus abeſſe videntur ii qui cum Platone primum, Pithagora, Socrate, Tullio, caeteriſque huius ſectae Philoſophis, ac deinde cum Origene (4) animos arbitrantur conditos multo profecto antequam in corpus immigrent, eoſque ſomniant antequam corpora intrent, in rerum cognitione viguiſſe, quibus certe minime eſt aſſenſiendum, propterea quod non ſolum primi homi-

(1) S. Auguſt. De orig. anim. Lib. 3. c. 15. & Vincent. Victorem alloquens Lib. 4. *Qua impietate*, inquit. *ut careas ita oportet, ut dicas animae auctorem Deum, ut ab illo facta ſit, non de illo.*

(2) Lib. I. Tuſc. quaeſtion.

(3) Geneſ. 1.

(4) Lib. I. περὶ ἀρχῶν cap. 7. &c.

minis animum ſimul cum corpore creatum exiſtimamus, verum etiam cuiuſvis hominis animos tunc ab rerum omnium conditore Deo produci contendimus, cum corporum partes, atque organa ex ovo expanduntur, & animum exigere quodadmodo videntur quo informentur, id quod cum iis (1) qui in re catholica recte ſentiunt, plurimum convenit.

VIII.

Qua quidem in quaeſtione tot inter ſe, & tam diſcrepantes extiterunt Patrum ſententiae, ut Panphilus (2) optima ratione concludat Eccleſiaſticos ſua tempeſtate fere omnes de animi origine diverſa ratione ſenſiſſe; & Sanctus Auguſtinus, qui cum Hieronymo hac de re pluribus litteris diu multumque diſſeruit, fateri tandem non timuerit ſe id penitus ignorare: *Nam quod adtinet*, (3) *ad animae originem qua ſit in Corpore, utrum de illo uno ſit qui primum creatus quando factus eſt in animam viventem, an ſimiliter fiant ſingulae, ſingulis, nec tum ſciebam, nec adhuc ſcio*. Id tamen nihil Sanctis illis doctrina, pietate, & eruditione praeſtantiſſimis Viris adfert erroris, aut vitii, proterea quod nihil tunc temporis Eccleſia hac de re ſanxerat univerſa.

IX.

Quod ſi fateri licet id, quod ex quamplurimis ipſorum Patrum ſcriptis colligimus, hanc profecto de animi origine in diverſas partes diſputationem, & opinionum diverſitatem ex eo ortam exiſtimamus, quod etſi certo ſcirent, fideque tenendum arbitrarentur originale primi hominis peccatum in poſteros tranſire (4) nihilo tamen minus cum originalis huiuſce culpae ſubiectum eſſe animum intelligerent, non ita facile ſtatuendum cenſuerunt, quae nam tandem eſſet animi eiuſdem origo (5).

X.

(1) S. Hieronymus multas hac de re quaeſtiones inſtituens Lib. adverſus Errores Ioannis Hieroſol. *An*, inquit, (*certe quod Eccleſiaſticum eſt ſecundum eloquia Salvatoris*) *quotidie Deus fabricatur animas cuius velle feciſſe eſt*, *& conditor eſſe non ceſſat*. Et Auguſtin. Epiſt. ad Optat. 190 *Sed mox*, inquit, *ex nihilo creatas animas ſinguli accipiunt*.

(2) In Apolog.

(3) Lib. I. retract.

(4) Conſulendus Auguſt. Lib. I. retractat. cap. 9. Lib. I. contra Iulian. Lib. de peccat merit. & remiſs. cap. 9. Lib. de dono perſeverant. cap. 11. & 12.

(5) Adeundus S. Auguſt. Epiſtola in veteri aeditione 18. in nova 166.

X.

Absit tamen, ut eosdem Sanctos Ecclesiae Patres arbitremur eo dementiae, ac erroris devenisse ut crederent, animos hominum ideo originalis piaculi macula infectos, propterea quod ex uno in alterum ex semine traducantur animi; id quod cum caeteri Patres, tum Hieronymus improbat saepius (1) Animus *non certe ex traduce ut Tertulianus, Apollinarius, & magna pars occidentalium autumant, ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animantibus conditione subsistat*; Ratum est ergo apud eos primi parentis maculam non carnali hoc fabuloso animorum faedere in posteros derivare.

XI.

Quare si hac in quaestione proferre licet quod sentimus, facili ratione difficillimam hanc, & ab haeroicis usque temporibus in diversas partes versam difficultatem dirimi posse censemus, si cum S. Thoma (2) aliisque bene multis Theologis statuamus, omnes homines, qui ex uno primo parente Adamo procreantur, cum in eadem natura conveniant, esse veluti unum hominem, id quod non auctoritas solum, sed etiam recta ratio confirmat (3); Itaque ex Adamo omnes homines, sicuti ex uno corpore multa membra, promanant; membrorum autem actus sunt a voluntate animi quo membra moventur: Et eadem ratione culpa omnium hominum qui ab primo parente sunt geniti, non est ipsis voluntaria; sed est a voluntate illius a quo originem, naturamque suam trahunt; unde apposite haec culpa originis dicitur, & naturae: *Eramus* certe (4) *natura filii irae*: Est igitur in omnes homines a priore parente peccatum originis, propterea quod originem ipsi suam ab eo per generationis motionem quamdam sortiuntur.

 XII.

(1) Epist. LXXXI. quaestionem sibi a Marcellino, & Anapsica propositam, in hac Epistola dirimit Hieronymus.

(2) Prim. Sec. quaest. 81. art. 1, & 3. &c.

(3) Porphirius Cap. de Specie Tom. I. *Participatione speciei*, ait, *plures homines sunt unus homo*.

(4) Ad Ephes. 2.

XII.

Nihil vero absurdius, nihil ab veritate magis alienum excogitari umquam potuit, quam animum ab corpore nulla ratione distinctum, eumque ex materia, & crassis, concretisque corporum partibus coalescere; id quod ut Ethnicos praeteream, effutire insipienter non desinunt cum Tolando, (1) Gildonio (2), Obbelio, Elverio, nostra hac etiam aetate Voltair (3), & quotquot sunt de impio hoc materialistarum grege plebeii Philosophi, qui nihil animo videre cum possint, ad oculos omnia referunt, & cogitationem a consuetudine abducere nolunt. Est igitur apud bene institutos Philosophos, atque Theologos omnes compertum atque exploratum, esse animos omni corpore vacuos, & *spirituales*.

XIII.

Quis autem iis (4) merito non succenseat, qui permultis Ecclesiae Patribus vitio tribuunt, eos nempe existimasse animum esse corpore, & materia concretum, nihilque ab ipsomet corpore differre? Qui autem id effutire non verentur, hanc profecto impune calumniam inurunt viris ingenio, ac doctrina praestantissimis, quos ab impio hoc materialistarum errore suis ipsorum scriptis vindicari apertissime possunt, neque ullum adferre Sanctum Ecclesiae Patrem potuerunt umquam, qui corpore compactum esse animum senserit, cum iis qui spiritum omnem de medio tollere conantur.

XIV.

Neque aliud est quidquam, cur male hisce feriatis hominibus incredibilis animorum videatur aeternitas, nisi quod nequeunt

(1) Lett. sur le mouvement.
(2) Oracles de la Raison.
(3) Lib. de l'Esprit.
(4) Unus Voltaire, prae caeteris, nullo argumento, nulla ratione, nullaque proposita SS. Patrum auctoritate, haec, uti assolet, prompte, ac libere scribit, Lettr. Filosof. XIII *Quant aux Peres de l'Eglise, plusieurs, dans les premieres siecles, plusieurs, dis-je, ont cru l'Ame humaine, les Anges, & Dieu corporels.*

queunt qualis animus ſit materiei expers, intelligere, & cogitatione comprehendere, ſenſu enim omnia metiuntur; quibus certe illud appoſite eſt exprobrandum (1): *Si enim quod numquam vidimus, id quale ſit intelligere non poſſumus, certe & Deum, & divinum animum corpore liberum cogitatione complecti non poſſumus.* Itaque ſempiternus eſt animus, deque eius immortalitate tacitam naturam iudicare deprehendimus, atque id ipſum Sacrae utriuſque Faederis paginae ad impios quoſque revincendos aperte teſtantur.

XV.

Tanta profecto eſt, tamque incredibilis immortalis huius, atque *ſpiritualis* ſubſtantiae vis, & poteſtas, ut omnia ſupera, infera, prima, ultima, media, acumine ipſa ſuo attingere poſſit; Viget enim animus, ſentit, ſapit, intelligit, vult, & reminiſcitur; quare eſſe animum a Deo intellectione, ac voluntate donatum qui neget eſſe arbitror neminem, niſi is dum praeterita ſe tenere, & futura providere, & complecti praeſentia ſe poſſe cognoſcit, impune id neget quod ſentit, & niſi tot apertiſſimis Scripturarum oraculis tenebras offundere inſipienter velit.

XVI.

Iam vero quamvis animi quae ſit propria eſſentia, ac natura, & in quo ea ſita ſit non ita facile comprehendi poſſit, eius tamen originem, vires, attributa, ac proprietates quamplurimas intelligimus, nihilque eſſe in eo ex terra natum, aut factum, nihil in illo mixtum, atque concretum, eſſeque ab omni corpore diſtinctum, maximo argumentorum pondere fateri compellimur. Spiritus autem, atque ſubſtantiae illius quae omni materia caret, completam diſtinctamque ideam habere ſe poſſe quis hominum umquam ſibi perſuadeat, qui niſi eorum quae ſenſibus attinguntur conſuetudinem habet?

(1) Tullius Tuſculan. quaeſt. Lib. I.


XVII.

Quae de animorum origine, existentia, immortalitate, ac *spiritali* natura, & attributis huc usque disseruimus, tanti profecto sunt momenti, ut merito summis ingeniis praediti Ecclesiae Patres, & Christiani orbis Philosophi omni cura, summoque studio in iisdem quaestionibus stabiliendis adlaboraverint, & tam inexpiabili religione sanxerit Ecclesia universa; Hac enim quaestione de animo, & Dei existentia, duobus veluti fundamentis, Religio stabilitur tota quanta est, ab iisque veluti fontibus eiusdem Religionis praecepta, atque instituta promanant, ut merito propterea habeat (1)

Quapropter geminis fundatur nostra columnis
Relligio .....
Esse Deum auctorem rerum, iustique tenacem
Esse animos nullo perituros temporis aevo.

(1) Cardin. de Polig. Anti-Lucr. Lib. IX. v. 1115.





DE HOMINUM ANIMO
CORPORI ADIUNCTO.



SECTIO SECUNDA.

XVIII.



Uam longe ab animo distet corpus, quamque inter se harum substantiarum altera ab altera discrepet, satis superque intelligimus; hae tamen semotae, dissimilesque substantiae tam arcto colligatoque faedere consociantur, ut datis in animo cogitationibus, atque affectionibus, totidem in corpus resiliant commotiones, iisque motibus corporum excitatis, animorum sensationes aequa proportione respondeant; Mira autem haec animi cum corpore coniuntio, ex qua profecto subiectum illud innascitur quod dicitur *homo*, non aliunde quam a libera Dei voluntate, qui has condidit, creavitque discrepantes naturas repetant Philosophi, ac Theologi omnes necesse est (1), atque

(1) Card. de Polign. Anti-Lucr. v. 1007.
At vinculum, si corpus erit, qui prendere mentem,
Et si incorporeum qui prendere membra valebit?
Ergo infiniti coniunxit sola voluntas.

hanc corporum, & animorum adhaesionem, mutuamque eorum, ac perennem harmoniam non ita facile percipi a nobis posse fateamur, oportet: (1) *Modus quo corporibus adhaerent spiritus omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est.*

XIX.

Qui vero miram illam, ac propemodum incredibilem sensationum, idearumque vicissitudinem, mutuumque animi in corpus, corporisque in animum motionum commercium phisicis rationibus complecti, atque explicare se posse blandiuntur, multis illi quidem sese difficultatibus implicant, nec id quod volunt assequi possunt umquam; Incertiores profecto sumus quam ante hac, & in eadem ignoratione versamur, quamvis nervos corporis omnes, quibus sensatio perficitur, cordarum instar tensos, atque dispositos statuamus, qui animi in cerebro veluti nuncios, spirituum animalium subsidio, & tremula quadam motione externas obiectorum impressiones ad ipsum animum deferant, eumque excitent (2); sive commercii illam (3) in data occasione statutam legem animum inter, & corpus; sive tandem, sublata qualibet phisica mutuaque animi, & corporis actione, harmoniam (4) illam praestitutam humanae libertati infensam divinemus, idem tamen saxum sudamus, nec hilum proficimus; Itaque hac in quaestione ad Omnipotentis Dei liberam voluntatem si confugiat Theologus operae pretium eum facturum arbitramur. (5)

XX.

(1) S. August. Lib. de Civit. Dei Lib. XXI. cap. 10.

(2) Acta Erudit. Lipsiae ad annum 1759. Iacob. Ioan. Hentschius, Meditationes de harmonia mentis.

(3) Malebranchii Sistema: Consule Boullier, Essai Philosoph. sur l' ame des betes, par. 2. c. 15.

(4) Leibnitii hipotesis de harmonia praestabilita.

(5) Cum Cl. Viro P. Malebranchio exprobrassent permulti eum in re philosophica, in hac nempe quaestione de mutua animi in corpus actione, & motu, ad primam rerum omnium caussam Deum appellasse, eique propterea regererent, quod apud veteres erat in proverbiis, hoc est: *Deus in machina.* Huic porro obiectioni Vir Cl. Stor. dell' Accad. Reale delle Scienze an. 1705. inter caetera, respondit: *Numquid caussas Philosophus inveniet, quae nullae sunt? Quod si corpus in animum, & animum in corpus agere non posse demonstratum sit; consequitur Dei unius voluntatem huius unionis veram esse caussam; atque inde fit, ut non Deum in phisicam invitum trahamus, sed potius* phi-

XX.

Multa profecto peccant, atque ab omni veritate recedunt, qui cum Origene (1) animos autumant multo ante quam in corpora immitterentur, variis sese sceleribus maculasse, eosque somniant a conditore suo prava ipsorum voluntate recessisse, ac propterea post diversas conversiones, progressionesque e Caelis usque ad terras animos eosdem esse prolapsos (2), & pro culparum diversitate, diversa quoque corpora, quasi vincula promeruisse (3), quo nihil absurdius, nihilque ab catholica (4) veritate magis alienum.

XXI.

Nulla proinde alia fuisset ratio, & caussa Mundi huius condendi ex istorum hominum sententia, nisi quia locus adesset in quo animus omnis corpori, veluti arctissimo carceri, addictus suorum scelerum poenas lueret, atque eo solum consilio

phisicam ipsam ad priorem sui ipsius auctorem revocemus. Et Anti-Lucr. Lib. ix. v. 1007.

Unde est igitur quod mutua sese....
Commoveant, certis in corpore motibus ortis
Notities menti adveniat, tum certa cupido
Atque ex notitia, certaque cupidine mentis
Quidam exuscautur motus, & corpore gliscant? &c.
Ergo infiniti coniunxit sola voluntas.

(1) Lib. de Principi.

(2) Favere videtur Origeni Clemens Alexandr. Stromat. Lib I. cap. 3. Nemesius de natura hom. cap. 2. At. S. August. de Civitat. Dei Lib. ix. cap. 18. *Animas, dicunt, peccasse a Conditore recedendo, & diversis progressibus pro diversitate peccatorum è Caelis usque ad terras diversa corpora quasi vincula meruisse;* id quod pluribus rationibus improbat. *Nec ideo* (inquit Epistola exc. ad Optatum) *credimus animam venisse in corpus corruptibile, quo gravatur, quod vitae anteactae merita in illud compulerint.*

(3) Haec Origenis sententia in Synod. Constantin. an. 551. proscripta est, eamque pluribus in locis S. Augustin. insequitur, & praesertim de Civit. Dei Lib. ix. cap. 18. & S. Hieron. adversus Rufin. Lib. 3. & Comment. in Epistol. ad Ephes. cap. 1. Origenes autem Platonis studiosissimus hunc ex ipso Platone errorem hauserat in Phaedone, & Epinom & Lib 10. de Legib. & in Timaeo, ubi doctrinam hanc disertissime explicat, eamque multo profecto ante propugnaverat Pithagoras, & Empedocles, uti auctor est ipsemet Origenes contra Cels. & ipso Pithagora antiquior Orpheus: *Animum in corpore puniri dixit*, ut ait, Plato in cratil.

(4) S. August. ad Vincent. Victorem Lib. 3. cap. 9. *Haec dogmata*, ait, *quibus putatur anima ante carnem habuisse aliquem statum bonum, aut meritum, si forte nescit, exceptis antiquis haereticis, etiam recentius in Priscillianistis Catholica damnavit Ecclesia.*

filio corporibus esset universum oppletum, ut misera tandem captivitate in eadem corpora immigrans animus, expiaretur; ac propterea conditus esset Mundus non ut bona ibi constituta subsisterent, sed ut mala cohiberentur, uti egregie infert S. Augustinus; (1) Quae autem inde alia consequantur portenta, & absurda nemo est, qui non videat planeque sentiat.

XXII.

Condita est igitur a Deo corporea quaevis creatura, eaque bona existit, neque animis cruciandis creata sunt corpora; Sed cum divina bonitas rerum omnium sit finis, minime profecto dubitandum est, quin & eadem haec corpora, quae animis informantur, propter ipsius bonitatem ab rerum omnium optimo conditore prodierint, qui *caelum, terram, mare, & omnia quae in eis sunt* fecit, (2) & condidit, ex iisque duabus miro ordine consociatis, ac discrepantibus substantiis *hominem* existere voluit, omnium in hac rerum universitate creaturarum praestantissimum, qui corpore compactus *Dei invisibilia* per corporum imagines, *& per ea quae facta sunt intellecta conspiceret*. (3)

XXIII.

Nos igitur animo, & corpore mirabili quodam, ac pene singulari ordine, ac dispositione concreti non oculis cernimus ea quae videmus, neque enim ullus est sensus in corpore, (4) *Sed viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatae; itaque saepe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti apertis, atque integris & oculis, & auribus nec videmus, nec audimus; Ut facile intelligi possit animum & videre, & audire, non eas partes quae quasi fenestrae sunt animi, quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat, & adsit*; atque haec quidem corporum no-

(1) De Civit. Dei Lib. IX. cap. 18. *Miror*, inquit, *hominem* (Origenem) *in Ecclesiasticis litteris tam doctum non attendisse primum quam hoc esset contrarium Scripturae quaequae ad omnia opera Dei subiungit* (Genes. 1.) *Et vidit Deus cuncta quae fecerat, & ecce bona valde.*

(2) Psal. 120.

(3) S. Paul. Epist. ad Rom. 1.

(4) Cicer. Tusc. quaest. Lib. I.

noſtrorum veluti foramina, quae patent ad animum a corpore, callidiſſimo artificio natura fabricata eſt, & rerum omnium opifex ſapientiſſimus his omnibus inſtructos nos eſſe voluit, ut iiſdem veluti inſtrumentis pro arbitrio quoque ſuo uteretur animus, qui tandem ei *referre debet propria corporis prout geſſit ſive bonum, ſive malum*. (1)

XXIV.

Ex hac autem arctiſſima, ac prorſus ſapientiſſima animi corporiſque unione, ex qua quidem hominis cuiuſque exurgit ſubiectum illud quod nobis *Perſona* dicitur, nulla omnino fit animi corporiſque confuſio, neque una cum altera ſubſtantia ita commiſcetur, ut in unam ex duabus compactam coaleſcant ſubſtantiam; utraque autem in ſuo ipſius eſſe conſiſtens unam eamdemque omnium hominum naturam conſtituit, ad quam profecto naturam componendam inconfuſis utriuſque ſubſtantiis corpus, & animus, ea qua diximus ratione, & mirabili artificio conſociantur; id quod ne ii quidem inficiari poſſunt qui recta uti ratione voluerint. (2)

XXV.

Optima hinc ratione concludit S. Thomas (3), animum corpori uniri ut forma, eſſeque animum vere, proprieque dictam hominis ipſius formam; Ex ea nempe corporis animique coniunctione, ex qua unum aliquod proficiſci neceſſe erat, conſequi oportere ſtatuit S. Doctor in Theologicis, ac Methaphiſicis diſciplinis apprime verſatus, ut in (4) *uno eſſe* utraque haec ſubſtantia conveniret, atque unam eamdemque hominis naturam conſtitueret; hominemque, dixit, *eſſe*. (5)

(1) S. Paul. 2. ad Corinth. cap. 5.

(2) Porfirius licet Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimus id Neſtorio eiuſque aſſeclis minime concedendum exiſtimavit, ut ex duabus natoris in Chriſto confuſione facta, una tantum exiſteret. Cap. 2. variar. quaeſt. *Non improbandum*, ait, *accidere poſſe, ut aliqua ſubſtantia ad alterius ſubſtantiae abſolutionem aſſumatur, & pars ſubſtantiae ſit ita, ut in ſua ipſius natura maneat, & aliam ſubſtantiam compleat, ut unum cum alio fiat, & ſuam unitatem conſervet, & ipſa non varietur.*

(3) Prim. Secund. quaeſt. 81. art. 1. & 3. & Lib. 2. contr. Gent. cap. 68.

(4) Ibidem.

(5) Ibidem cap. 69.

unum aliquod ex substantia intellectuali, & materia corporis; Substantiam autem intellectualem, & animum ait esse *formam & principium essendi substantialiter* in homine, propterea quod talem profecto naturam, & hoc esse habet homo, ex formae huius unione cum hac materia; quod qui (1) non intellexerunt, illi quidem S. Doctoris principia expendere accuratius neglexerunt, atque insipienter certe, & impune S. Thomam Hobbesii, Lockii caeterumque materialistarum insignem patronum venditare indoctis non verentur.

XXVI.

Quid autem non ab recta solum philosophandi ratione, verum etiam a sanctis Ecclesiae institutis, ac sanctionibus magis abhorret, quam tres in unoquoque homine animos immittere ac definire, & in eo tres invicem distinctas, ac discrepantes substantias huiusmodi immaginari, & somniare? Intelligit certe homo, vegetatur, & sentit; at non est in eo triplex porro animus intelligens, vegetans, & sensiens; bene vero unus, idemque est animus hominis intelligentis, sensientis, & vegetantis; id quod & rectae rationi consonat, & iis quae a SS. Patribus, & universa Ecclesia sancita sunt mira consensione respondet; Qui vero aliter sensiunt, ii non in philosophiam modo, verum etiam in religionem (2) ipsam maxima invehant portenta necesse est.

XXVII.

(1) Antonius Iennensis in Regia Neapolitana Academia publicus Ethices Professor in sua Element. Metaph. parte altera in Scolio ad Propos. xxi. Aeditionis Neapolit. 1751. S. Thomam, atque universos fermo Scholasticos multis lacessit, atque ex suis ipsorum principiis contendit animum corporeum eos fecisse; quorum sententiam dum legeret, *Miror*, inquit, *Hobbesianos, & Lockianos Philosophos dum de natura animi loquerentur, & quidem tanta cum invidia, ad hos patronos non appellasse &c.* At ne ille quidem S. Thomam Prim. Secund. quaest. 81. perlegit, nec aliorum Theologorum qui eius vestigiis inhaerebant sententias mentemque nulla ratione est assequtus.

(2) Consule S Thom. P. Part. quaest. 76. art. 2. & quaest. 118. art. 2. ad 2. In Concil. autem octavo Constantineopol. habito ann. 870. action 10. Can. 11. haec habentur: *Apparet quosdam id temporis in tantum impietatis venisse, ut hominem duas animas habere impudenter dogmatizent. Talis igitur impietatis inventores, & similia sensientes cum vetus & novum Testamentum, omnesque Ecclesiae Patres unam animam rationalem habere hominem asseverent, Sancta, & universalis Synodus anathematizat.* Haec profecto omnia nec legerat, nec fortasse sciebat Vir Cl. Anton. Genuensis, qui hac praesertim in re multa peccat, & animum quemdam medium si non statuit,

XXVII.

Neque tamen ita est existimandum, ut unus omnino, idemque sit omnium hominum animus, qui enim ita desiperet, ut unum cunctorum hominum esse animum crederet apertissimis ille quidem Sacrarum Scripturarum testimonis, ac universae SS. Patrum auctoritati contrairet: (1) Quamvis igitur in eadem natura conveniant animi, eiusdemque sint speciei, tamen multitudini corporum aequa animorum multitudo respondet, ex quo fit ut idem numero animus non sit in omnibus hominibus, (2) qui certe non eadem sentiunt, non eadem cogitant, non eadem intelligunt, & reminiscuntur, sed pro diversitate hominum, diversae propemodum esse videntur eorumdem cogitandi rationes; apposite hinc Philosophi (3) intellectum lumini comparant, quo profecto lumine non eadem ratione illustrantur obiecta quae ei subiiciuntur.

XXVIII.

Quamdiu autem corpori coniunctus est animus, sentit homo, carnis, & spiritus concertationes, iisque angitur persaepe: (4) *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: haec enim sibi invicem adversantur, ut non quequmque vultis, illa faciatis*: Mutua autem haec carnis animique dissensio non aliunde repetant Theologi necesse est, quam

tuit, at certe de eo se cum multis aliis, quos citat, subdubitare visus est, element. Metaph. part. alter. in schol. ad prop. xxv. Eosque contemnit qui scripturarum oraculis unum esse hominis animum probare se posse merito arbitrantur. *Nec nunc* (inquit ibidem) *moror Comenii argumenta e Scriptura Sacra deprompta ne contortis interpetrationibus hominum* FANATICORUM *quid concedere videar*. Nae ille quandoque dormitans vir caeteroqui doctus, & eruditus

. . . . Risu excipit alto
Haerorum sensus, pleclaraque dicta Sophorum.
Marc. Thymoleont. Menipp. prima.

(1) Concil. Lateran. sub Leon. X. Sess. 8. haec habet: *Sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, & unam in cunctis hominibus &c.* Consule S. Thom. P. p. quaest. 76. ar. 2.

(2) S. Thom. P. p. quaest. 79. ar. 5.

(3) Aristot. in 3. de anim. tex. 18. com. 2.

(4) S. Paul. Epist. ad Galat. cap. 5.

quam ab illa primi parentis culpa, per quam in omnes homines mors, obcaecatio, in malum, ementita boni ratione, inclinatio, ac omnium irruentium vitiorum turba derivantur. (1)

XXIX.

At (2) *Christus è Caelo pax nostra descendens, fecit utraque unum, & medium parietem maceriae solvit, inimicitias in carne sua lege mandatorum in decretis evacuans; ut duos conderet in uno novo homine faciens pacem, & reconciliaret utrosque in uno corpore Deo;* quid porro iucundius, quid salubrius homini evenire potuit umquam, ut iuncto faedere inter has corporis animique conluctationes per Christi Domini mortem, sublatis inimicitiis, & tot gratiae donis quisque adiutus in societatem, concordiamque deveniret? Caro enim etsi adversus animum concupiscat, tamen imperio subiacens animi a lege peccati per Christum soluti, & tot tantisque auxiliis, donisquae cumulati, fit eadem ipsa *Caro* (3) *animae appendix, non iam laena vitiorum, sed aemula quaedam, & quasi pedissequa virtutis ..... & mens pura mundique huius exuta famulatu, sensus corporis in suas illicit, & adtrabit voluptates.*

XXX.

Miseriorem (4) profecto caeteris creaturis vitam traduceret homo si posita hac animi corporisque sui dissensione, & pugna

(1) S. Ambros. Expos. Evangel. secundum Luc. Lib. VII. num. 141. *Possunt*, ait, *etiam videri caro, atque anima ab odore, tactu, gustuque luxuriae separata, in una domo se adversus incursantia vitia dividentes ... quorum licet dissensio per praevaricationem primi hominis in naturam se verterit, ut nequaquam sibi paribus ad virtutem studiis convenirent, tamen per crucem Domini Salvatoris ... in societatis concordiam congruerunt.*

(2) S. Paul. Ephes. 2. 14. 15. & 16.

(3) S. Ambros. ubi supra n. 141. & 142.

(4) S. Thom. quaest. 6. de malo ar. unic. *Si enim*, inquit, *non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exortatio, praeceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quae moralis philosophia consistit.*

gna, nullae ei superessent vires, queis quae bona sunt, & ad iustitiam pertinent prosequi, quaeque mala sunt, & ab veritate, & ab instituto divinitus ordine recedunt vitare per se, & fugere non posset; Itaque liber est homo, quem Deus *reliquit in manu consilii sui;* (1) & hac profecto arbitrii libertate, & tot undique interioris, exteriorisque gratiae donis a Deo cumulatus atque adiutus homo, & carnis concupiscientias comprimere, (2) & ab vitiis sese cohibere, recteque vivere, & laborum, virtutisque aeterna praemia consequi, ac promereri a Deo felici, & iucunda conluctatione in hac vitae usura potest, & debet.

XXXI.

Haec porro arbitrii libertas, quae (3) in ratione sita est in homine reperitur, qui tamen in summum illud incommutabile bonum, & in quod pondere veluti suo fertur libenter liber non est; qua certe in commune bonum sublata motione, nihil omnino velle posset homo; (4) est propterea in homine libertas illa quae a coactione, & altera quae a necessitate nuncupatur, quo fit, ut ad singulare quodcumque bonum sit indifferens, (5) & electione ipse sua ex ratione boni desiderio, & voluptate, ex ratione mali fuga, atque aversione sese determinet, atque operetur.

XXXII.

(1) Eccl. 15.

(2) S. Hieron. in Epist. ad Galat. cap. v. *Inter iurgia carnis, & spiritus*, inquit, *media anima consistit, habens quidem in sua potestate bonum, & malum, velle, & nolle*. S. Ambros. Exposit. Evangel. secundum Luc. Lib. vii. num. 142. *Caro in naturam regressa, vigoris sui agnoscit altricem, atque ausu deposito contumaciae, moderantis animae coniugatur arbitrio*. S. August. Lib. I retract. cap. 9. *Voluntas est qua peccatur, & recte vivitur*.

(3) S. Thomas Prim. Sec. quaest. ix. ar. 5. & Pr. Pr. quaest. 83. ar. 1. & alibi.

(4) S. Thom. Pr. Sec. quaest. ix. ar. 6 ad 3. sic habet: *Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle*.

(5) Idem S. Thom. Pr Pr. quaest 83. ar. 1. *Iudicium*, ait, *rationis non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis, ideo agit libero iudicio, potens in diversa ferri .... & pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrii ex hoc ipso quod rationalis est*.

XXXII.

Ea, qua de loquimur, hominis libertas ab ipsa ratione proficiscens non idcirco imminuitur, vel infringitur, propterea quod externorum obiectorum (1) actione, summique Dei motione (2) adiuvetur, ac fulciatur; caussae enim cuiuscumque ratio omnis semper est eadem, quavis aliarum causarum ope sublevetur, ipsaque mens hominum activitatem suam minime deperdens, & ex mali, bonique ratione operans, libera esse non desinit, etiamsi aliis externis, internisque motionibus, causisque voluptate trahatur. Quapropter nugae (3) profecto sunt, nec digna sapiente ea argumentorum genera, quae ad humanam libertatem labefactandam, tollendamque ex actione rerum, ex generali, & peculiari Dei concursu desumuntur, quibus rationum imaginibus, (4) simulacrisque eos fidere, atque

que

(1) Voluntatis inclinationes, aversionesque ex ratione boni, vel mali, & ex ideis boni, malique proficiscuntur, quas profecto ideas ex obiectis persaepe animo innascuntur externis: *Unde*, inquit S. Thom. Pr. Sec. quaest. IX. ar. 4. ad 1. *motus voluntatis, etsi habeat principium proximum intrinsecum, tamen principium primum est ab extra.*

(2) Deum hominis voluntatem movere, inque bonum commune inclinare ita, ut libera a necessitate non sit, explorata res est. *Sed tamen* (S. Thom. ubi supra ar. 6. ad 3.) *interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam.* Et Apostolus 2. ad Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

(3) Quae ab Luthero, & Calvino ad libertatem e medio tollendam misere congesta, ac impie consarcinata sunt argumenta, eadem requoquere extremis temporibus non dextiterunt prae caeteris Obbes, Spinosa, Collins, & Elvetius omnibus ferme suis ipsorum scriptis, quos praeterquamquod S. Thomas (apud quem in his potissimum de libertate quaestionibus nil luculentius, nil cumulatius, nil firmius dici potuit unquam) longe ante plenissime refellit; eosdem tamen omni ex parte vertit eruditissime, & firmissimo argumentorum pondere Vir doctissimus P. Antonius Valsechi Ord. Praed. modo in Patavina Universitate primus Theologiae Professor, in Opere quod inscripsit: *Dei fondamenti della Religione*, Vol. I. Cap 6.

(4) Intima quisque conscientia sentit se libertate donari, atque inde fit, ut nos reprehendendos a nobis ipsis arbitremur, si postquam unum prae alio opus adhorti sumus atque elegimus, male postea nobis rem cessisse cognoscimus; integrum enim nobis fuisse intelligimus alia nos potuisse, & contraria ratione operari; hinc vel ipse Iuvenal. Satir. 13. v. 1.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori, prima haec est ultio, quod se
Iudice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis Praetoris vicerit urnam.

que inniti videmus, qui religioni, omnique veritati tenebras offundunt, & quae in ipsis assidue contingunt, vel non intelligunt, vel ignorare pueriliter dictitant. (1)

XXXIII.

Interest autem plurimum ad hanc plene, cumulateque stabiliendam hominis, tuendamque libertatem certum illud, ratumque statuere, nos ex ratione boni, vel mali per appetitum, vel aversionem in obiecta ferri, eademque deperire, vel ab iisdem nos contineri, esseque huiusmodi obiecta, si cum summo bono conferantur, finitae virtutis, multisque imperfectionibus obnoxia, ac propterea in eorum electione, aut fuga consulere nobis integrum omnino est, nec ulla ex eadem electione voluntati coactio, & necessitas infertur. Qua ex re consequi quis non intelligit eo magis nos in obiecta voluntate tendere, quo plura ratione efficimus, quam cum naturae veluti impetu, atque affectibus operamur, nostraeque rationis imperium magis, magisque extendi, ac dilatari?

XXXIV.

Itaque extra dubitationem omnem constitutum contendimus eo nos esse ad agendum promptiores, quo plura sunt media, quibus ratio ipsa perficitur; quo enim ratio ipsa est auctior, & perspicacior, eo promptior est homo ad agendum minusque haeret, ac cunctatur. Igitur gratia, legislatio, rerum divinarum, humanarumque cognitio, quae rationem ipsam perficiunt, voluntatem quoque ipsam augeant, perficiantque necesse est; tantumque abest, ut divina gratiarum auxilia, legum conditio, & veritatum cognitio quidquam homini ad agendum detrahant, quin potius nihil eum provehat uberius, pleniusque corroberet. Haec porro si probe ab iis essent intellecta, qui licet inviti, libertati tamen bellum indixere (ut

eo

(1) S. Ambrosius in Luc. *Datum est animae liberum arbitrium, quod qui nugatoriis rationibus labefactare conantur, usque adeo caeci sunt, ut ne ista quidem vana atque sacrilega propria voluntate se dicere intelligant.*

eo liberius, atque ut sibi misere blandiri videbantur, impune vitiis, atque flagitiis possent indulgere) abstinuissent profecto a tot tantisque argumentorum tricis, involucrisque ad libertatem (si vero possent) funditus tollendam, eamque potius Deo acceptam retulissent, (1) & sub eius gratia, praescientia, (2) motione, & auxilio augeri, servarique securius fateri se debere cognossent.

DE

(1) S. Ambrosius expos. in Luc. Lib. VIII. *Liberum arbitrium*, inquit, *datum est a Sapientissimo, atque Invictissimo totius naturae Domino*. Et egregie ad rem nostram Dant. Paradis. Cant. 4.

Lo maggior don, che Dio per sua larghezza
Fece creando, ed alla sua bontate
Più conformato, e quel che ei più apprezza,
Fu della volontà la libertate,
Di che le creature intelligenti
E tutte, e sole furo, e son dotate.

(2) S. August. in libris quos inscripsit de libero arbitrio luculenter, ut assolet, ea quodadmodo omnia refellit in eos, qui sua ipsius tempestate contra libertatem insurrexere, ac nos conterquemus adversus eos bene multos, qui cum gratia, praescientia, & efficaci divina motione libertatem componi non posse insipienter negant, atque id illis contingit, quod evenisse Ciceroni lib. 2. de divinit. advertit idem S. Augustinus, qui, *ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos*; Dei nempe sublata praescientia.





DE ANIMO SEPARATO.



SECTIO TERTIA.

XXXV.



Etsi ab rerum omnium conditore Deo constitutus ita fuerit homo, ut animo, & corpore perenniter vigeret, atque immortalitate gauderet, si in ea, in qua conditus fuerat iustitia perdurasset; tamen quia *per peccatum mors intravit in mundum*; (1) factum hinc est ut ab iusto Deo ea fuerit hominibus lex constituta, ut semel morerentur; (2) *Per unum enim hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*. (3)

XXXVI.

(1) S. Paulus in Epist. ad Rom. cap. 5.

(2) S. August. in Lib. de Qu. nov. & vet. Test. quaest. 19. *Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipse sibi auctor esset aut ad vitam, aut ad mortem.* Concil autem Milevt. cap. 1. *Quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum ita, ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exire non peccati merito, sed necessitate naturae: anathema sit*. S. Thomas Pr. Sec. quaest. 85. art. 5. egregie admodum, ac luculenter; *Et ideo*, inquit, *subtracta originali iustitia per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est humana natura quantum ad animam per deordinationem potentiarum, ita etiam corruptibilis est effecta per deordinationem ipsius corporis; subtractio autem originalis iustitiae habet rationem poenae, sicut subtractio gratiae: unde etiam mors, & omnes defectus corporales consequentes sunt poenae originalis peccati*.

(3) Apost. ubi supra.

XXXVI.

Itaque relicto corpore, ab eoque cuiusvis animus post brevem vitae huius usuram, excedens, interit homo, ac moritur: (1) *Est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac diruptus earum partium, quae ante interitum iunctione aliqua tenebantur.* Ipse vero animus quem aeternum, atque immortalem diximus, ac decrevimus, omnique corpore, ac partibus carentem certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire igitur; itaque manet animus post corporis mortem, eodem corpore vacans, & in rerum cognitione vivit semper, ac viget.

XXXVII.

Vim quoque ipse suam, sagacitatem, memoriam, voluntatem, atque intelligentiam retinet animus a corpore seiunctus; cumque in hac vita magni referat quali in corpore animi locati sint: (2) *Multa enim e corpore existunt, quae mentem acuant, & multa quae mentem obtundant*; nulla profecto tunc erunt e corporeis vinculis emissis animis huiusmodi incommoda, quo minus intelligant uberius, pleniusque cognoscant. (3)

XXXVIII.

Neque ea a corpore seiunctis animis facultas est deneganda, ut in iisdem scientiarum habitus, quos post tot exantlatos in vita labores acquisierunt, remanere dubitemus; Insunt igitur in animis a corpore liberis scientiarum, quibus imbuti erant, habitus omnes, earumque rerum rationes quos antea mente gerebant, easdem in ipsis separatis animis versari,

ac

(1) Tullius Tusc. quaest. Lib. I.
(2) Tullius ibidem.
(3) S Thom. Pr. Pr. quaest. 89. art. 3. *Unde*, inquit, *animae separatae de omnibus naturalibus cognitionem habent non certam, & propriam, sed communem, & confusam.*

ac contineri profecto arbitramur (1): *Clara* (2) *enim est*, *&* *quae numquam marcescit sapientia*; unde apposite ad Paulinum scribens S. Hieronymus: (3) *Discamus*, inquit, *in terris*, *quorum scientia nobis perseverent in Caelo*.

XXXIX.

Quamvis autem secreti a corpore animi cognitio ex locorum distantia nec augeri, nec imminui ulla ratione possit, (4) nihil enim quaecumque ea fuerit locorum distantia officere potest umquam, quin separatus animus cognoscat, atque intelligat; nihilo tamen minus non id animis istis tribuimus, quod illis nec competit quidem, eos nempe illa intueri, & cognoscere quae hic apud nos in hac rerum universitate aguntur; (5) sunt enim huiusmodi animi ab viventium hominum consortio seiuncti; quapropter quae apud nos pertractantur, ignorare eos prorsus existimamus; id autem de naturali eorum cognitione intellectum volumus, quoniam de Beatorum animis, de quibus agemus, aliter omnino sentiendum.

XL.

Iam vero ad animorum e corpore excedentium sedem, habitudinemque quod attinet, primum illud non solum ab recta philosophandi ratione, verum etiam ab omni Sacrarum Scripturarum veritate, & ab comuni Patrum sententia abhorrere intelligimus, animos nempe ex uno in aliud hominis corpus

(1) S. Thom. Pr. Pr. quaest. 89. art. 5. *Unde dicendum est quod habitus scientiae, secundum quod est in intellectu, manet in anima separata:* & art. 6. in corp. *Cum igitur species intelligibiles maneant in anima separata, ut dictum est, status autem animae separatae non sit idem sicut modo est, sequitur quod secundum species intelligibiles hic acquisitas, anima separata intelligere possit, quae prius intellexit.*

(2) Sap. 6.

(3) Ad Paulinum Epist. 103.

(4) S. Thomas ubi supra art. 7. *Distantia localis nullo modo impedit animae separatae cognitionem.* Et Luc. 16. legimus divitem iam in infernum detrusum a longe Abrahamum, & Lazarum conspexisse.

(5) Idem S. Thomas art 8. *Secundum naturalem cognitionem animae mortuorum nesciunt quae hic agantur. . sunt enim secundum ordinationem divinam, & secundum modum essendi segregatae a conversatione viventium, & coniunctae conversationi spiritualium substantiarum, quae sunt a corpore separatae.*

pus misera quadam, ac perenni circuitione transmigrare, (1) esseque propterea in hac rerum universitate admittendam miram illam, atque ab Aegyptiis (2) fortasse excogitatam Μετενσωμάτωσιν, vel Μετεμψύχωσιν.

XLI.

Qua quidem in re ea cum Origene (3) dicunt nonnulli, ut mihi certe risum captare videantur; futurum enim arbitrantur ut e corporibus demigrantes animi non in hominum corpora solum, sed etiam in bruta animantia, plantas, vel etiam in astra, & in daemones transeant; quo fit ut pro diversa meritorum genera, qui homo antea erat, is quadrupes sit, vel angelus, vel planta; *ipsique* (4) *daemones* ex Origenis sententia, *& rectores tenebrarum in aliquo mundo si voluerint ad meliora converti, homines evadent, & sic ad antiquum redire principium..... angelum praeterea, aut animam, aut certe daemonem, quos unius asserit esse naturae sed diversarum voluntatum pro magnitudine negligentiae, & stultitiae iumentum posse fieri, & in aquis habitare, vel fluctibus... Ut nobis non solum quadrupedum, sed & piscium corpora sint timenda*, quo quid viro sapiente indignius esse possit, non video.

XLII.

(1) *Quidam*, ut in Pithagora refert Laertius Lib. 8. sec. 14. *primum Pithagoram sensisse aiunt, animam circulum necessitatis immutantem alias aliis illigari animantibus;* Id tamen inter Graecos commentum invexisse ait Hieronymus Apolog. adversus Rufin. *Apud Graecos*, inquit, *Pithagoras primus immortales esse animos, & de aliis corporibus transire ad alia invenit*.

(2) Verum ab Aegyptiis Μετεμψύχωσιν esse primum commentam, atque excogitatam apertissime tradit Herodotus in Euterpe cap. 123. Πρῶτοι δὲ καὶ τοῦτον τὸν λόγον Αἰγύπτιοι εἰσὶ εἰπόντες ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι. τοῦ σώματος δὲ καταφθίνοντος, ἐς ἄλλο ζῷον αἰεὶ ἐσδύεται. Pithagoram autem sapientem virum, summoque ingenio praeditum, incredibilem hanc animorum transmigrationem docuisse minime est existimandum, eumque, & eius discipulos hac super re differentes non fuisse intellectos ab eius auditoribus, ait S. August. Lib. 7. de Genes. ad lit. cap. 9. Ab plebeio, crassoque hoc errore eumdem Pithagoram strenue vindidicant Marsilius Ficinus in argum. ad Plat. Phaed. Ioan. Hornobk Lib. 8 contra Iudae. Daniel Classenius Tom. 8. Collect. Gronov. & Claudius Lignierius, qui In Diss. de Sect. Pithag. cap. 10. *Quo pertinet*, inquit, *dogma de trasmigratione animarum ex uno corpore in aliud, quod alii ruditer non sine contemptu famae Pithagorae intellexerunt, cum nihil aliud eo intenderit, quam invitationem bonorum ad actiones honestas, & debortationem a vitiis, &c*

(3) Lib. περὶ ἀρχῶν. S. Augustin. Lib. de Haeres. ad Quodvultdeum, vitio dat Tertulliano, eum docuisse animos hominum nequam in daemones converti,

(4) S. Hieron. Epist. ad Avitum 104.

XLII.

Impia autem haec commenta ut firmius ſtatueret, & latius propagaret Origenes innumeros pene mundos adfuturos excogitavit in quibus animi de corpore in corpus veluti peregrinarentur, ut ſuorum ſcelerum maculas ita luerent, vel meritorum praemia in nobilioribus corporibus exiſtentes augerent. (1) *In ſecundo* περὶ ἀρχῶν *libro, mundos aſſerit innumerabiles, non iuxta Epicurum uno tempore plurimos, & ſui ſimiles, ſed poſt alterius mundi finem, alterius eſſe principium, & ante hunc noſtrum mundum alium fuiſſe mundum, & poſt hunc alium eſſe futurum, & poſt illum alium, rurſuſque caeteros poſt caeteros... Cum vero haec dicat nonne manifeſtiſſime gentium ſequitur errores, & Philoſophorum deliramenta ſimplicitati ingerit Chriſtianae?*

XLIII.

Verum enim vero hiſce delirantium hominum ſpretis ſomniis, ac nugis, aliter omnino de animorum ſtatu, atque habitudine eſt exiſtimandum poſt corporis mortem: (2) *Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam aeternam in Caelis*; eſt igitur cuique ſtatim poſt obitum ſtatuta operum merces, vel poena ab Sapientiſſimo, & Iuſto Deo, (3) *qui reddet eis ſecundum opera eorum, & ſecundum facta manuum ſuarum*, animique corpore carentes iiſdem afficientur praemiis, vel poenis iuſto Dei iudicio ſtatim ac e corpore exceſſerunt.

XLIV.

In hiſce autem praemiorum, poenarumque ſtabiliendis, decernendiſque generibus, non humana quidem ratio quae hac in re quam ſit exigua aperte cognoſcimus, ſed divina re-

(1) S. Hieronymus ubi ſupra.
(2) 2. ad Corinth. cap. 15.
(3) Hierem. cap. 25.

revelatio quae in Sacris Litteris, & Ecclesiae traditione existit est consulenda, qua profecto certo scimus quas Supremus Iudex, & legum suarum vindex Deus, & custos, transgressoribus poenas, quae iustis praemia decreverit, ac statuerit. Quamvis enim communis omnium gentium ratio suadeat scelestibus, ac impiis suorum criminum poenas esse luendas, iustos e contra probosque viros qui ad legum prescripta mores suos componunt, laborum, ac meritorum praemia eos consequi oportere; tamen quia multiplex esse potest apud rerum omnium provisorem, & gubernatorem Deum, & criminum poena, & meritorum praemium, hinc certe factum est, ut rationes quae divina revelatione misere caruerunt, etsi in eam sententiam de multandis post mortem impiis, & iustis praemio afficiendis descenderint, in iis tamen definiendis plura, vel pueriliter, vel inter sese contraria commenti sint. (1)

XLV.

Itaque id primum ex Sacrarum Scripturarum aeloquiis, & ex universa Sanctorum Patrum traditione certo intelligimus, homines iustos, quorum in lege Domini voluntas extiterit, quique nec in impiorum consilio abierint, & in peccatorum via non steterint, quibus tandem nihil post mortem de peccatorum poenis sit luendum, eos statim post corporis dissolutionem efferri in Caelum, ut clara, iucundissimaque Dei visione fruantur, utque *epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in laetitia*. (2)

XLVI.

Qui vero humanis sese vitiis contaminarunt, ac flagitiis inquinarunt, quique in vita a mandatis Dei declinarunt, iisque gravibus contra Dei legem criminibus obstricti mortem ope-

(1) Quam multae, quamque inter se discrepantes fuerint hac de re omnium fermе gentium, ac nationum sententiae norunt Sapientes; sunt enim tam multae, & tanta in varietate, ac dissensione constitutae, ut earum molestum sit adnumerare sententias. Adeundus hac super re Ioan. Gerardus Vossius Lib. I. de Origine Idolatr. Probos autem viros postquam decesserint veluti Deos esse habitos scimus apud veteres Etruscos, Romanos, Pelasgos, Aegyptios, Assirios, Phriges, Cilices &c.

(2) Psal. 67.

opetierunt, quin eadem scelera retractaverint, ab iisque sese Deo auxiliante totisque viribus non continuerint, eosdem profecto nec beata Dei visione, & consortio, nec ulla felicitate donandos, sed suppliciis, gravissimisque poenis multandos statim ac e corpore evaserint, omnes utriusque Faederis paginae, cum universa Sanctorum Patrum consensione, testantur. (1)

XLVII.

Quoniam vero non quibusvis peccatis, vel criminibus admissis eadem omnino semper poenarum, vel suppliciorum genera decernuntur, idque ex omnium gentium legum praescriptione intelligimus; hinc profecto factum est, ut cum possit homo diversa ratione, & gravitate peccatum committere, sint propterea pro diversitate peccatorum, ab iusto Deo diversae quoque poenarum species constitutae; Hinc optimo quidem iure duplex peccati genus ab Theologis distinguitur, mortale quod dicunt, alterum veniale; qui igitur animi mortalibus piaculis inquinati e corpore excedunt, summis illis, quae supra diximus, suppliciis iure multantur; qui vero venialium criminum, vel remissorum mortalium poenas in hac vita non dederunt, eosdem in altera vita ad tempus qui-

(1) Quod de poenarum, praemiorumque retributione huc usque disseruimus, (quae omnis animos manent cum e corpore excesserint, id profecto Ethnicis perspectum fuisse constat, ita ut mirari satis non desinant viri sapientes, inter Christianos Philosophos, extitisse qui hoc vertere in dubium impie, & impudenter possint. Socrates apud Tull. Tusc. quaest. Lib. I. cum supremum vitae diem sibi imminere conspexisset, *ita locutus est, ut non ad mortem trudi, sed in caelum videretur ascendere, ita enim censebat; duas esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium: nam qui se humanis vitiis contaminassent, & se totos libidinibus dedissent, quibus caecati velut domesticis vitiis, atque flagitiis se inquinassent, vel in Rep. violanda fraudes inexpiabiles concepissent, devium quoddam iter esse seclusum a concilio Deorum: qui autem se integros, castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio, sesesque ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos a quibus essent profecti reditum facilem patere.* Iamblicus qui Pithagorae, ac illius sectae discipulorum mores, sententiasque accurate perscripsit, haec in Commen. adhor. ad Philos. Lib. 2. cap. 13. habet. *Nihil enim fert secum anima abiens ad alteram vitam, quam probitatem, & improbitatem, quae plurimum prodesse, vel obesse defunctis noscuntur. Atque anima quidem melior cum Deo habitat per caeli beatas regiones invecta; quae vero sese factis impiis contaminavit proficiscitur ad iudicia subterranea meritis poenis deputanda;* atque hanc esse omnium Pithagoreorum sententiam docet.

quidem luant necessum est(1), atque inde fit ut tertiam veluti sedem animorum e corporibus excedentium, cum universa Ecclesiae traditione statuamus, eamque *Purgatorium* dicimus.

XLVIII.

Quae de praemiis iustorum, quae de improborum poenis, ac suppliciis constituimus, ea ita sunt perspicua, ut ad revincendos eos, qui haec in dubium revocant, quos esse multos intelligimus, ipsamet ratio, & vera Entis perfectissimi notio plurimum confert; Si enim sanctitate, iustitia, ac providentia eaque maxima qua fieri potest praeditum esse Deum oportet, consequitur profecto eum & iustis praemia, & flagitiosis supplicia decernere post mortem iis, qui brevi hoc vitae spatio nec bonorum operum fructum, nec commissorum criminum poenam percipere nullatenus potuerunt; id quod vel optimos quosque rerum publicarum administratores plurimum decet. (2)

XLIX.

Quid est (3) *igitur, cur dubitandum sit, quin sint ea, quae disputavimus, verissima, si eventa, si populi, si nationes, si Grae-*

(1) Quaestionem hanc universam luculenter satis S. Thomas Lib. 3. cont. gen. cap. 143. declarat, & explicat: *Dupliciter*, inquit, *contingit peccare: uno modo sic quod totaliter intentio mentis avertatur ab ordine ad Deum, qui est ultimus finis bonorum; & hoc est peccatum mortale. Alio modo sic, quod manente ordine humanae mentis ad ultimum finem impedimentum aliquod afferatur, quo retardatur, ne libere tendat in finem, & hoc dicitur peccatum veniale: si ergo secundum differentiam peccatorum oportet esse differentiam poenarum, consequens est, quod ille qui mortaliter peccat sit puniendus sic quod excidat ab hominis fine; qui autem peccat venialiter, non ita quod excidat, sed ita quod retardetur, ut difficultatem patiatur in adipiscendo finem: sic enim iustitiae servatur aequalitas, ut quomodo homo peccando voluntarie a fine se divertit, & poenaliter contra suam voluntatem in finis adeptione impediatur.*

(2) Solon percunctatus quid magis Reip. saluti prodesset, respondit: *Si boni praemiis invitantur, mali autem poenis coercentur*. Cic. ad Brut. Epist. 15. Stobaeus autem Serm. 41. *Licurgus*, inquit, *dicere solitus erat duabus potissimum rebus contineri Remp. praemio scilicet, & poena*. Socrates apud Tull. ad Brutum, Civitates optime gubernari dicebat cum iniusti dant poenas; & Pithagoras apud Plutarcum Lib. 2. de Leg. *Civitatem optimam esse dicit, quae postquam malos poenis coercet, viros tantum bonos admitteret.*

(3) Cic. Lib. I. de divinit.

si Graeci, si Barbari, si maiores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est, si summi Philosophi, si Poetae, si sapientissimi viri, qui Resp. constituerunt, qui urbes condiderunt, hoc semper animo constrictum habuere, esse impiis poenas, iustis praemia post mortem constituta? Id profecto tum Graeci, cum Latini Sapientes inexpiabili religione sanxerunt; Hinc tria ab eis loca constituta, ubi defunctorum animi continerentur, Elisium nempe, Infernum, & Tartarum, quorum primum virtute praestantibus viris, alterum impiis, extremum vero iis qui medium quoddam vitae genus complexi fuerant, reservari arbitrabantur; hinc conficta ab eis Acherontis palus, quae prima animos excipiebat, hinc portitor Charon, frementibus flammarum undis Phlegeton, Cocitus tristissimus amnis, & Cerberus latrans; hinc porro severissimi iudices Aeacus, Minoes, & Rhadamantus, & quae singulos commissa fateri scelera compellebant, Eumenides; atque hinc demum excogitata supplicia tam multa, & tam generum diversorum, Sisiphi irrequietum saxum, Tantali perpetua sitis, ac fames, Danaum inexplebile dolium, Titii insatiabile vultur, Thesei aeterna sessio, atque alia id genus permulta, quae insitum in omnium gentium animis fuisse demonstrant, esse homines in altera vita vel praemiis, vel suppliciis pro meritorum diversitate afficiendos. (1)

L.

Quae quidem improbis supplicia, & iustis praemia ab supremo rerum omnium gubernatore, & summo moderatore Deo, ut diximus, statuta, aeternum certe duratura, nec finem umquam habitura scimus ex Sacrarum Scripturarum eloquiis, & ex universa Sanctorum Patrum traditione; Quapropter minime Origeni (2) Adamantio auscultandum, iisque bene

(1) Pleni sunt omnium Philosophorum cuiusvis aetatis libri qui id luculenter confirmant cum apud Graecos, tum apud Latinos; Poetarum quoque innumera extant huius rei argumenta. Adeundi hac de re Grutherius apud Gronovium Tom. 12. Natalis Comes Lib. 3. Mithologiae. Lactantius Firmianus Lib. de falf. Relig. & Io. Vincentius Patuzzi Ord. Praedic de Futuro impiorum statu Lib. I. &c

(2) Libr. περὶ ἀρχῶν praesertim; adeundus Huetius in Origenian. Lib 2. quaest. xi. num. 16.

bene multis eiusdem Sectatoribus, qui damnatorum, & daemonum quoque supplicia tandem finem obtentura contendunt, id quod ut vitiis, ac voluptatibus liberius fortasse indulgeant nonnulli, extremis hisce temporibus impie docere non verentur. (1)

LI.

Quamvis autem impiorum poenas numquam desituras Sanctarum Scripturarum oraculis, Patrum testimoniis, ac multiplici argumentorum pondere adstricti confiteri cogantur ex heterodoxis permulti, futurum tamen existimant, ut inferorum supplicia, quae impios diu, multumque affecerunt, mitiora tandem, ac leviora illis evadant, quo fiat ut damnatorum supplicia minuantur, vel cruciatus eorum quandoque etiam per diuturnam durationem intermittantur; quod porro nec Scripturarum, nec Sanctorum Patrum sententiis congruere potest umquam.

LII.

Neque ii vera dicunt, qui (2) *quadam misericordia moti, & humano affectu errantes*, etsi malos quidem angelos aeternis suppliciis mulctari credant, non ita tamen Christianos, & praesertim Catholicos, qui licet sese vitiis inquinaverint, in iisque decesserint, eos tamen putant Dei misericordiam tandem consequturos, & postquam suorum scelerum poenas luxerint, etiamsi in quacumque haeresi, vel impietate hinc migraverint, ex aeternis illis suppliciis esse eruendos, ac liberandos (3), atque ad id, ut sibi blandiuntur, comprobandum multis Scripturarum testimoniis abhutuntur, & S. Hieronymum prae caeteris patronum habere se putant posse, atque impune dictitant. (4)

LIII.

(1) Prodiit inter caeteros non ita pridem incerti auctoris, sed Calviniani quidem Liber, cui haec est inscriptio: *Lettres sur la Religion essentielle a l' homme &c.* qui impium hoc dogma indoctis obtrudit.

(2) S. August. de Civit. Dei Lib. 2. c. 17.

(3) Horum opiniones diversas accurate describit, ac reiicit S. August. de Civ. Dei Lib. 2. cap. 17. & Sanctus Thomas distin. 46. quaest. 2.

(4) S. Hieronymum in hac fuisse opinione versatum impune arbitrantur nonnulli, idque ex iis praesertim probare se putant posse, quae in finem Commentar. in Isaiam, & in Dialog. contra Pela-

LIII.

Res igitur est exploratissima impiorum quorumlibet animos qui ex hac vita suorum scelerum maculis inquinatos in alteram migrant, aeternis eos omnino suppliciis statim esse addictos, eaque supplicia in aeternae gloriae, bonorumque omnium privatione non solum, verum etiam in poenis, maerore, & afflictionibus caeteris omnibus huius vitae multo amarioribus esse sita, quae *Damni*, & *Sensus* poenae ab Theologis (1) appellantur, quibus etiam conscientiae exprobrationem acerbissimam, quam vermis nomine persaepe indicant Scripturae, esse adiiciendam constat; quae qui negant, illi quidem apertissimis Scripturarum, Patrumque testimoniis aversantur.

LIV.

Improbi praeterea omnes, quamvis multiplici hoc poenarum genere perpetuo afficiantur, non aequa tamen ratione illos suppliciis iisdem mulctari existimandum est; Cum enim non eadem sit omnium meritorum conditio, neque eadem peccatorum gravitas, & quantitas, omnis profecto iustitiae ratio postulat, ut non aequa sit in eos omnes poenarum animadversio, & poenam inter, & delictum aequalis servetur proportio necessum est, id quod & Scriptura, & Patres apertissime edocent. (2)

LV.

Pelagian. S. Doctor litteris consignavit, quod Petavius Lib. 3. de Angel. cap. 7. non Hieronymo solum, sed etiam nonnullis aliis Ecclesiae Patribus vitio tribuit, perperam quidem: adeundus Natalis Alexander Tom. 3. Histor. Eccles. & I. Vincentius Patuzzi de Impior. statu Lib. 3. cap. XI.

(1) S. Thomas apposite, sapienterque de more id explicat, & confirmat Lib. 3. contr. Gent. cap. 145. *Poena*, inquit, *debet proportionaliter culpae respondere; in culpa autem non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebite convertitur in alia, quasi in fines. Non solum ergo puniendus est qui peccat per hoc quod excludatur a fine, sed etiam per hoc, quod ex aliis rebus sentiat nocumentum.*

(2) Concil. Florent. in Decret. statuit, *Omnes qui in peccato mortali ex hac vita decedunt in infernum statim descendere poenis disparibus puniendos.*

LV.

Iam vero ad eos quod attinet, qui ex his vitae miseriis, ac tenebris excesserint, quique haeredes sunt Dei, cohaeredes autem Christi, eos porro aeterna, summaque felicitate, ac beatitudine esse cumulandos certo scimus, Deique regno esse potituros: (1) *Non est autem regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*, eorumque erit certe cumulata laetitia in clara Dei visione, atque in perfectissimo eius amore constituta.

LVI.

Creatus autem intellectus, licet naturali vi sua, ac virtute Dei essentiam videre minime possit, ad eam tamen cognoscendam, intuendamque, lumine quidem gloriae intellectus ipse a Deo perficitur, & elevatur, quo fit ut beatorum animi aeternum illud totius veritatis, iustitiae, sanctitatis, ac omnium perfectionum principium, atque originem Deum intuentes facie ad faciem (2) in lumine ipsius lumen (3) videant, eumque perfecto amore prosequantur, atque absoluta iucunditate perfundantur.

LVII.

Quamvis autem omnes Deum sicuti est (4) intueantur, summaque voluptate beatorum animi in Divina illa visione afficiantur, unum autem altero perfectius pro meritorum diversitate eamdem essentiam intueri explorata res est, *ac propterea diversa ibi erit Sanctorum gloria, sed una erit omnium vita aeterna* (5); Diversa autem meritorum genera, ab diver-

(1) Apost. ad Rom. 14. 17.
(2) 1. ad Cor. 13.
(3) Psal. 35.
(4) 1. Ioan. 3.
(5) S. August. Lib. de Fide ad Petr. cap. 25. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, ideo Christum Filium Dei ad iudicandum vivos, mortuosque venturum, ut homines, quos hic dono gratiae suae &c. glorificet, & secundum promissiones suas aequales Sanctis Angelis faciat.*

versa singulorum charitate omnino esse repetenda nemo unus inficiabitur. (1)

LVIII.

Quoniam vero beatorum animi divinam illam nullisque limitibus coercitam, atque infinitam essentiam comprehendere nulla ratione possint, non omnia propterea, quae in Deo sunt intuentur; ea tamen universa, quae ad naturale quoque ipsorum desiderium complendum pertinent, in immenso illo totius naturae, & veritatis principio conspiciunt feliciter, & intuentur; hinc rerum species, & genera, & earum rationes vident; ea quoque, quae apud nos in hac rerum universitate contingunt, quae, nempe, ad naturalem universi ordinem spectant, eos scire, ac cognoscere facili ratione crediderim. (2)

LIX.

Animi igitur cunctorum hominum ab suis ipsorum corporibus seiuncti, iis, quae diximus, vel poenarum, vel praemiorum generibus ex meritorum diversitate iusto, sapientissimoque Dei iudicio, afficiantur necesse est; extremo tamen mundi huius, & communi omnium hominum iudicii die animos eosdem suis ipsorum, iisdemque corporibus uniendos, ac consociandos fide credimus, ac tenemus; omnesque (3) sine ullo humanae naturae defectu resurrecturos arbitramur, *donec occurramus omnes in perfectum virum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* (4)

LX.

(1) S. Thomas Pr. pr. quaest. XII. art. 6. *Unde intellectus*, inquit, *plus participans de lumine gloriae perfectius Deum videbit; plus autem participavit de lumine gloriae qui plus habet de charitate, quia ubi est maior charitas, ibi est maius desiderium, &c.*

(2) S. Thomas Pr. Pr. quaest 89 art 8. Postquam Sanctorum Augustini. & Gregorii 12. Moral. cap. 14. sententias hac de re, adtulit: *Magis*, inquit, *videtur secundum sententiam Gregorii, quod animae Sanctorum Deum videntes omnia essentia, quae hic aguntur, cognoscant, sunt enim Angelis aequales: de quibus etiam Augustinus asserit, quod ea, quae apud vivos aguntur, non ignorant.*

(3) Idem S. Thom. in suppl. 3. p. quaes. 81. art. 1. *Respondeo dicendum, quod homo resurget absque omni defectu humanae naturae, quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit .... Et ideo reducetur humana natura per resurrectionem ad statum ultimae perfectionis, quae est in iuvenili aetate.*

(4) S. Paul. ad Ephes. 4.

LX.

Oportet (1) *igitur corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem* (2), *& qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit mortalia corpora nostra* (3); *omnes autem resurgemus, sed non omnes immutabimur*; beatorum enim corpora multis caelestibus donis cumulata, suisque ipsorum animis amico faedere iuncta, aeterna perennique felicitate in Caelum ascendent; impiorum vero obscuritate, gravitate, crassitieque obsita, despectaque corpora, aeternis, gravissimisque suppliciis mulctanda ad inferos detrudentur.

(1) 1. ad Cor. cap. 15.
(2) Ad Rom. cap. 7.
(3) 1. ad Cor. 15.

Disputabuntur publice Florentiae ad S. Marcum Mense Iulii 1773.
Die hora pomerid. Facta cuilibet post tertium argumentandi facultate.

